

1561 gatum fecisse , qui patriæ legum oblitus , ab officio recesserit . Adjectum , ne illum inviseret , neu alloqueretur , neve quidquam de publicis negotiis communicaret . Idem quoque iis ; qui pro Republica legatione Romæ fungerentur , præceptum ; statimque Hieronymus Superantius ei a Senatu successor datu s est .

Hieronymus Superantius in  
Romana  
legatione  
Amulius sus-  
fectus .  
Brixienst  
& Cremo-  
nensum  
controversie  
denuo exor-  
ta eisdem  
arbitris Bo-  
lano & An-  
gusciola per-  
mittuntur .  
Bergomati  
fines ob Brē-  
bi amnis  
controver-  
sias a Tre-  
viliensibus  
invasi .

In Gallia Cisalpina , quæ superiore anno inter Brixienes , ac Cremonenses de Ollio amne controversiæ exortæ , ac compositæ fuerant , denuo finitos populos exercuere ; atque ut recrudescentium dissidiorum seges amputaretur , rursus ad eosdem arbitros res est delata . Dominicus Bolanus , Brixiae Episcopus , qui Tridentum profectus fuerat , a Senatu pro eisdem definiendis difficultatibus est evocatus . Angusciolam regii iterum arbitrum dixere . Ab iis , sedula locorum inspectione , ac jurium discussione , re agitata , tandem communi consensu contentioni finis impositus est . Inter Bergomates , & Trevilienses ob Brembum fluvium , qui per illorum fines labitur , maiores dissensiones subortæ . Trevilienses haud exigua armatorum manu stipati , Brembatum immunitum , apertumque opidum improviso ingressi , turbatis , exterritisque repentina impetu incolis , multa sæva , atque immania perpetrarunt ; prædas egere ; ex oppidanis duodecim captivos Trevilium abductos , in vincula conjectere . Facti atrocitate vehementer commoti Patres , quæ acciderint , Antonio Mazzæ a secretis , qui Mediolani publica negotia obibat , significant . Aterni Marchionem , Insubrum præfectum , adire jubent : gravibus verbis Senatus nomine captivos quamprimum dimitti postulet , neve pacem , quam Respublica cum Philippo inviolate servaret , facinorosorum hominum scelere , atque audacia inteturbari , atque labefactari sinat : si quid Trevilienses juris in Brembi amne se habere existiment , causam per arbitros quiete discuti , atque definiri permittant ; ni statim pro illatis injuriis factum sit satis , eadem , & graviora ipsos quoque experturos . Ea obnuntiatione effectum est , ut , haud multis post diebus captivis redditis , judices deligerentur ; pro Treviliensibus Danesius Philidonus , Mediolanensis consilii præses ; pro Bergomatibus præfectus urbis Julius Gabrielius ; qui , controversiarum locis lustratis , cum usque ad mutuas altercationes

Danesius  
Philidonus ,  
& Julius  
Gabrielius  
ad differen-  
tes Bergo-  
matum &  
Treviliens-  
sum tollen-  
das electi .